

minis aeneis summa diligentia exprimenda curauit Spaletius, ita, vt subiunxerit odaria singula figuris literarum hodie vsitatis reddita, cum textu eorum Barnesiano, et versione Latina noua, aliisque ea ornamentis, quorum specie oculi lectorum liberales caperentur, tenerenturque, auxerit. Quae quidem viri eruditissimi cura quanti facienda sit, quam grato animo prosequenda, quantis laudibus efferenda, ab studiosis doctrinae Graecae, vel ex eo intellegitur, quod codex Vaticanus restat monumentum vnicum, cuius fide, ac testimonio, constet, haec odaria non esse Anacreonti a Stephano supposita, immo multis ante ipsum saeculis seni Teio tributa.

Nos igitur, qui exemplum eorum a nobis ante hos duodeuiginti propemodum annos adornatum, diuenditis eius exemplaribus, a librario, vel emendare, vel nouis etiam copiis instruere, iussi essemus, quum neque nunc Baxterianum immutare textum grauissimis de causis placuisset, in primis hoc agendum esse censuimus, vt, non modo in notis ostenderemus, quorum locorum lectiones nobis a Baxtero sine idonea causa immutatae esse viderentur, sed etiam varietatem scripturae codicis Vaticani quam diligentissime enotare-

mus,

ordine, qui in nostro exemplo est, hoc: p. 676. odar. 65. 48. et 49., vt vnum, 17. 18.: p. 677. odar. 59. 11. 15. 31. 12.: p. 678. odar. 10. 13. 14. 32.: p. 679. odar. 9. 28.: p. 680. odar. 29.: p. 681. odar. 21. 30. 66. 19. 22.: p. 682. odar. 20. 1. 2. 33. 16.: p. 683. odar. 16. et 55., vt vnum, 45. et 46., vt vnum, 44. 7.: p. 684. odar. 4. 3. 43.: p. 685. odar. 40. 23. 8. 41.: p. 686. odar. 47. 24. fragm. 3. odar. 42. 6.: p. 687. odar. 5. 25. 37. 38. 26.: p. 688. odar. 27. 39. 34. 36. 54.: p. 689. odar. 35. 53. 50.: p. 690. odar. 51. fragm. 2. odar. 52.: p. 691. fragm. 1. Caeterum odaria paginarum trium, 676. 677. 678., aliae videntur scripsisse manus, non ea, cui scriptura reliquorum odariorum debetur.